

petrauit, ut grandi pecuniâ adjuvaretur, quam cum in Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim Principes, cum quibus causas cognovit, & eorum, qui aliena detinebant, & eorum, qui sua amiserant; perfecit quæ estimandis possessionibus, ut persuaderet aliis ut pecuniam accipere mallerent, & possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes constituta concordia sine querela discederent. Quod exemplum, quò rarius nostroque monito aptius, eò dignius fuit, quod hîc plenissimè legeretur, & quidem à Cicerone L. II. Offic. propè finem descriptum, qui ut indicaret, quò loco illud haberet, mox subjungit: O virum magnum, dignum quæ, qui in nostra Rep. natus esset!

§. XV.

Ab his autem diversis finibus, quos Jus N. & positivum humanum habent præfixos, illud etiam discrimen rigidum, quod extensivè tale esse §. 16. seqq. c. 1. diximus, manifestè dependet. Cum enim à Jure N. intendatur recuperatio rectitudinis pristinæ, rigor ejus respectu objecti valdè extenditur, eadè nimirum, quâ sphæra actionû nostrarum moralium omnium, amplitudine; & cum rectitudo illa, quam intèdit, sit immutabilis, non potest non Jus N. ipsum, ratione durationis, immutabile esse. In omnia alia abit Jus positivum humanum; quippe quod actiones illæ, quas moderatur, à commodis & incommodis publicis pendeant, quæ nec universalialia nec perpetua sunt, ideoque rigorem ejus tam ratione objecti quàm durationis extensivè faciunt minorem.

§. XVI.

Finis aliàs Reipublicæ, secundum Aristotelem, duplex est, beatitudo (*εὐδαιμονία*) & sufficientia (*ἀυτάρχεια*) Vid. L. I. Politic. c. 2. III. § & c. Mirum verò est, quàm aptè suos proprios fines hisce Reipublicæ finibus nostra conforment jura. Jus nimirum Naturæ ad rectitudinem statûs integri tendens, non potest non beatitudinè intendere; idè dum facit, tam intensivè, quàm extensive, dictis modis evadit rigidum. Jus verò positivum humanum subsistens in statu corruptò, *ἀυτάρχειαν* huic conciliare annititur, inque ejus gratiam à rigore Juris Naturalis tam intensivè quàm extensive recedit. Sed de fine fati.

§. XVII.

Eadem verò rigoris diversitas etiam à diversitate causarum efficientium deduci potest.

§. XVIII.